

Extrema unctio est verum sacramentum novae legis.

Canones conc Trid: DB 926-29

926: est verum sacramentum a Xto insinuatam, a Iacobo promulgatum

927: confert gratiam, remittit peccata, alleviat infirmos; non est ritus curationis charismaticae iam diu obsoletus

928: est idem de quo Iacobus quod in ecclesia adhibetur

929: presbyteri de quibus Iacobus sunt ab episcopis ordinati, et non quivis aetate seniores

Capita conc Trid: DG 907-910

907: de fine

908: instituta a DNIC, apud Marcum insinuata, a Iacobo commendata et promulgata

ex traditione ecclesia cognoscit his verbis contineri materiam formam propriam ministrum effectum huius sacramenti

materia: oleum ab episcopo benedictum

forma: verba "Per istam unctionem..."

909: effectus sacramenti

910: minister, subiectum; errores protestantium; necessitas

Extrema unctio: Iacobus 5: 14 ss.

a agitur de aegroto decumbente

v. 13 kakopatheï v. 14 astheneï non ergo de qualibet infirmitate
v. 14 proskalesthō, inducat presbyteros; ergo aegrotus decumbit;
ipse presbyteros adire non potest, ideoque eos ad se venire petit

b agitur de sacerdotibus

vix unquam in NT aetate proVectiores nominantur presbyteri qui
sunt vel seniores populi iudaici vel constituti ab apostolis (Tit 1,
Act 14)

id quod hoc loco confirmatur addito genitivo, presbyteri ecclesiae,
quippe ad munus quoddam in ecclesia constituti

cf Act 20 17, ubi Paulus a Mileto mittens Ephesum vocat
presbyteros ecclesiae qui a SpS constituti et positi sunt episcopi
regere ecclesiam Dei

quod sufficit unicus presbyter erit suo loco probandum

c agitur de ritu sacro divinitus instituto

v. 14 orantes super eum ungentes eum oleo in nomine Domini
nam adest oratio; adhibetur oleum indifferenter in omnibus
infirmitatibus

in nomine Domini: non dicitur circa orationem quae ad Dominum
fit, sed circa orationem atque unctionem; ergo sensus est ille
notus et communis "in auctoritate, ex iussu Domini"

d agitur de ritu perenniter in ecclesia existente

nam dicitur generaliter de presbyteris tamquam aliquid officio
coniunctum -- non restringitur ad charismaticos

praeterea, effectus erit semper obtinendus, et non ad tempus
tantum propter propagationem initialem fidei; effectus enim est
armatura contra tela diaboli in articulo mortis

praeterea, tota traditio de ritu perenniter instituto S Iacobum
intellexit uti suo loco probabitur

e qui ritus habet effectum curationis et fortitudinis/spiritualis

nam oratio fidei salvabit infirmum
oratio dicitur fidei, non propter fidem decumbentis qui non orat
neque propter fidem subiectivam presbyterorum, sed propter fidem
obiectivam quae hunc ritum praescribit

salvabit infirmum: dicitur generaliter de omni salvatione; sed
maxime de salute spirituali, uti concluditur ex effectu conditionato,
huius salvationis, qui effectus est remissio peccatorum

salvabit infirmum: liberabit a malis quibus premitur; quae mala
sunt: physici dolores et molestiae; consequens afflictio animi;
ineptitudo ad actus salutare; pavor mortis; timor iudicii divini;
horror paenarum alterius vitae, remorsus conscientiae; diffidentia,
impatientia, assultus daemonis ad desperationem trahentis

quibus malis alius alio maius premitur, sed ab iis omnibus nemo
est prorsus liber -- ab his malis unctio liberabit infirmum; et in primis
ab iis quae sunt hominis simpliciter, scilicet a malis animae; deinde
etiam a malis corporis in quantum hoc expedit, vel saltem non obstat,
saluti aeternae -- absurde enim et contra divinam bonitatem fingitur
ritus qui magis corporis quam animae bono consuleret

alleviabit eum Dominus: suscipiabit, eriget, animabit, confortabit,
largietur ei vires quibus superior fit malis, vincat depressionem naturae,
pusillanimitatem, diffidentiam, disponatur ad actus salutare

Extra unctio, con'd., Iac 5, 14

Consistit ergo alleviatio imprimis in collatione gratiarum actualium; sed si infirmitas est etiam habitualis, in collatione gratiae habitualis cum titulo ad gratias actuales omnes quibus aegrotus indiget -- nam ex hac alleviatione sequitur, si opus est, remissio peccatorum

si in peccatis sit -- kan hamartias ê; pepolekos -- agitur de vera conditione; ideoque non de effectu primario huius sacramenti contra Estium et qui eum sequuntur vide Kern p 70

Cur Patres rarius de extrema unctione loquuntur.
Kern, p. 22

a Factum

"Sane qui vult periculum facere, verosimillime in operibus Patrum centum claros textus de Confirmatione inveniet, donec ei unus occurrat de Extrema Unctione."

Disciplina arcani aliquid explicat: sed non explicat maius secretum in EU quam in confirmatione.

b Rationes

a' Scripta deperdita: commentarios in epistolam S. Iacobi scripserunt Clemens Alex., Didymus, Cyrillus Alex., Augustinus, qui omnes interciderunt paucis exceptis fragmentis.

Primus cuius textus ad nos pervenit est commentarius Ven. Bedae, qui est testis eximius de EU

b' EU insinuat apud Marcum

At perpauci commentarios in evangelium Mc composuerunt, quippe quod hoc evangelium paucissima habet propria in aliis evangelis non contenta

Primus commentator fuit Victor Antiochenus qui insigne affert testimonium de EU (aliquibus hoc opus ascribitur Cyr. Alex.)

c' Scdm animadversionem doctorum scholasticorum, nullus exstabat typus EU in VT; unde PP commentando VT non habuerunt occasionem de EU loquendi

d' PP opera sua vel exegetica vel ad haereses refellendas composuerunt; de exegeticorum silentio actum est. Sed haeresis de sacr. isto tempore non habebatur, neque existebant tractatus systematici qui primo lucem viderunt post definitionem et numerationem sacr.

e' Sermones ad populum de baptismo, de confirmatione, de Eucharistia, de paenitentia publica, de ordinatione ministrorum sacrarum erant PP impositi propter communem receptionem vel publicam celebrationem.

Contra, EU privatim in domo cuiusque celebrata est: "inducat presbyteros ecclesiae." P. Kern testatur se numquam in ecclesia audivisse concionem factam de EU. Mirum non est PP de hac re rarius concionatos esse populum, ita ut nullus sermo de EU ad nos pervenit.

f' Post aetatem patristicam notum esse EU gravius decumbentibus administrari post confessionem et ante administrationem viatici.

At PP cautiissime de secreta peccatorum confessione loquuntur: nullus frequentius quam Chrysostomus urget fideles ad susceptionem sacramenti paenitentiae; sed Protestantes, non sine magna veritatis specie, afferunt Xryos tamquam adversarium confessioni faciendae sacerdoti. Imo opinatum est sigillum confessionis in praxi primitivae ecclesiae non solum ad peccata confessa sed etiam ad ipsum factum confessionis esse extensum.

Quia ergo ex subsequenti coniunctione confessionis et EU in administrandis morientibus ad coniunctionem in aetate priori conici possumus; etiam secretum de paenitentia privatim facta ad secretum EU administratae concludere licet.

g' Denique sunt multi textus apud varios PP qui videntur omnino esse de EU et tamen ad probationem afferri non possunt quia vago modo de oleo sacro loquuntur. Laudatur unctio, et certo demonstrari non potest unctio esse catechumenorum, confirmationis, vel EU.

Patres de existentia sacramenti EU

R 698 Aphraates

R 1241 Sacramentarium Serapionis

DB 99 Innocentius ad Decentium dicit chrisma ab episcopo confici;
Agitur de ritu de quo Iac 5 14; dicit esse genus sacramenti;
ex eo quod negatur paenitentibus concluditur esse sacramentum stricte
dictum, sacramentum vivorum quod negandum est eis qui in peccato
gravi versantur. Sed adest duplex dubium:

**

a "non solum sacerdotibus sed et omnibus uti xtianis licet"
arguunt protestantes agi de privato quodam usu a laicis
Respondetur: haec opinio cum contextu pugnat; cur dubitandum
episcopum posse administrare hoc sacramentum nisi quia Iacobus
dixit "inducat presbyteros"; praeterea, si ita litteraliter sumuntur
verba Iacobi ut episcopus excludatur, quomodo possent laici administrare
hoc genus sacramenti?

Quare aut "omnibus uti xtianis" sumitur active aut passive.
Si active, ita ut laici administrant; agitur de ritu quodam
diverso ac ritus de quo Iacobus ante citatus, et de quo ambigitur
utrum episcopus administrat.

Si passive, dicitur "uti" pro "recipere" habemus intentum

b Negatur paenitentibus
scil. publice paenitentibus, non tamen morientibus in ipso
fine vitae, sed graviter decumbentibus: ita Kern qui insistit
requiri morbum gravem non tamen ultimum fere halitum ad validitatem
huius sacramenti.

**

Sacramentum stricte dictum, nam si late dictum, non magis
erit negandum paenitentibus quam oratio; sed ecclesia orabat pro
paenitentibus

R 2092 Cyr. Alex. memorat Iac 5 14

R 2102 Cyr Alex, frag in Marcum, memorat Iacobum 5 14

R 2234 Caesarius Arelatensis, textus sat clarus